



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Sucqvæ E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiæ, 1630

Cap. 7. de patientia in proprijs malis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT VII.

Meditatio de Patientia in malis propriis.

CVM tu, Ô JESV æterna veritas, quæ fallere non potes, dixeris: *Patientia vobis est necessaria, ut reportetis promissionem; & rursum: Omnes qui piè volunt vivere persecutionem patientur; & iterum: qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me:* de hoc pluribus agam ex tui amore; & gratiâ tuâ. Et rogo te, Pater amantissime, dux noster, & legifer noster, inspira mihi quod placet tibi, quodque utile proximo & mihi pro maximâ gloriâ tuâ; ut gloriari possim in cruce tuâ, & mihi mundus crucifixus sit, & ego mundo. Amen.

COMPOSITIO LOCI, erit statuere se coram Deo, ejusque providentiam in bonis & malis intueri.

PUNCTVM I. Considera Primò, velut è speculâ mala plurima, quibus mortales passim affliguntur, & quanta illa sint. Denique quales ij ferè, qui maximè ea tolerant, quibusque à Deo immittantur, id est, summo bono, summè prudenti. Sunt quidem plurimi mali; sed tamen & plurimi boni innocentes, Deoque charissimi.

Et quaeso, vide nōne imperia, opes, favores penes improbos sunt? Nunc verò te ipsum inspice qualis sis, quid ob præterita promeritus sis, & quotidiana: & puto quod magnam habebis materiam gratias agendi Deo, pro infinitâ suâ in te misericordiâ. Quid enim illa quæ pateris, sunt, si ad peccata tua attendas, si comparentur ad ea quæ Jacob, Joseph, Job, aliiq; Deo charissimi passi sunt, Apostoli & Martyres? Considera Secundò, si recuses pati, & obmurmures, quid consecuturus sis; id videlicet, ut longè graviora sint quæ toleras, ob voluntatis repugnâtiâ, utque ad illa adjicias omnium malorum gravissimum, videlicet peccatū, & animi perturbationem, quâ velut in belluam, per irâ muteris. Equidem impatiens, cum obolum perdidit, totâ substantiam projicit

*Bona mundi
malis dan-
tur ut pluri-
mum.*

*Impatientia
mala & in-
sania.*

*Patientia
latus,*

*Cant. 8.
SS. Martyrū
exemplum.*

*Quisque sibi
bona audit
vel mala.*

projicit, cum quisei leuem rem surripit, omnia bona sua abjicit, exusta parte domus caeteram succendit; fama aliquam maculam acceptam, per impatientiam graviores facit. Bonus vero si in corpore aut re externa patitur, magnum in animam, at majus in Deo praesidium & refugium habet. Considera Tertio, si toleres mala quantum apud omnes laudem habiturus sis. Primo apud Deum, quia ejus voluntati acquiescis, & patiendum tuum egi majestatem illius amorem ostendis. Ille enim patiendum potius, quam agendum declaratur: unde mille inveniunt, qui multa largientur, orabunt, & leuem pro Dei amore injuriam impatientissimè ferent. Quis hic, quæso, amor, quantus est? nonne si verus est, talis est qualis in fortitudine ac patientiam Martyrum apparuit? verè fortis & adamantinus est amor, imò fortis est ut mors dilectio, & dura sicut infernus æmulatio. Secundo, considera quantum, si fueris patiens, apud Sanctos fortissimos amatores futurus sis, idque quia illis similis factus eris, de quibus canitur, Omnes Sancti quantum passi sunt! *Hæcine vera*, ut suprà pag 7.

PUNCTVM II. Considera quantum sit patiens apud homines: nemo enim est, qui non obstupescat patientem, & præferat expugnatori urbium eum, qui moderatur animo suo. Ille enim est aheneus murus, & scutum inexpugnabile, tectum patientiam & æquitate. Neque interest an de re, an famam agatur. Etsi enim linguam maledicam quis tibi detraxerit, nihil est quod movearis, nihil quod irascaris. Sive enim bona, sive mala, benè, vel malè dicat tibi aliquis, vel etiam faciat; perinde est: talia enim tibi erunt, qualia esse volueris, qualiter eis uti volueris, usus fueris. Sicut enim mentitur iniquitas tibi, non tibi, si non consentias; ita omnia mala facit tibi ac dicit, id est, ad perniciem suam, si nocenti compatiaris, eumque propter Deum ames, & gratias. id vero tum facis, cum nec beneficiis solis ad amorem excitaris, nec maledictis ab eo avocaris, & commiseraris ei potius, quam

quàm in malis propriis gemas, quibuste appetit. Dignus est enim commiseratione: mala enim ejus, illi mala, & valdè mala sunt; sed tibi dicta ac facta, si velis, in tantum bonum, & tantum malum convertere potes, quantum voles. Nam etsi re verà mala sint, non tibi tamen erunt, neque mala esse ullo modo poterunt, nisi malè utaris; nec bona bona, nisi eis benè usus fueris. Hoc semper ergo intuendum, quid fiat in animo tuo, non verò, quid boni, vel mali alii faciant; sed quid tu de ipsis eorum factis facias: quomodo scilicet utaris bonis & malis eorum: quantumque ex iis proficias, sive favèdo, & adjuvando; sive compatiendo, & emendàdo. Ac mala à voluntate tuâ habent, quòd tibi mala, vel bona sint; sic aurum visum fit rapinæ occasio futi, & mali, ex malitiâ ejus; abstinenti & misericordi virtutis, quia tribuit egenti. Vt sol indurat lutum, liquefacit ceram eodem radio; ita hic homo adversis fortior fit, ille liquefit; ille iis honoratur, hic vilescit. Quid si enim tu patienter injurias, calumnias, bonorum direptionem feras; identi vultu, fortiore animo, rependas bona pro malis; nonne gaudebis? ab omnibus laudem, etiam improbis feres? quid si irascaris? malo uni tuo in animo, & aliud adjicies & gravius. At de honore agitur. ita est; sed non de vero: quo tunc solùm excides, si impatiens fueris. Sed & de bonis periclitâris; vis etiam potiora abjicere, quia sequiora perdi disti? Credo tibi, ut sup. pag. 7.

PUNCTVM III. Còsidera, precor, Primò, an scias, quâ viâ ad cælum pertingere possis; utique certû est te ignorare: ergo sic cogita: Ecce hanc tribulationem mihi Deus immitit, hæc via est, quâ ad cælum me perducere vult, & non aliâ: præsertim cum, etiamsi omnia adhibeam, eam evitare nequeam. Deinde cum certissimum sit per multas tribulationes oportere nos saluos fieri, & quòd omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur; ac verissimum illud. Mundus gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in

P

gaudium,

*Mali tantû
possunt nobis
occasionem
dare virtutis.*

*Honoris inanis
cura &
bonorum.*

*Via ad Deû
monstrata
est patientia.*

*1. Tim. 4.
Ioan. 16.*

*Resignatio
necessaria.*

*Cruce Chri-
sti aut da-
monis fe-
renda.
Matth. 11.*

*Sap. 5.
Impatientia
infructuosa.
Act. 9.
Isaia 45.*

*Deut. 32.
Adversa
sunt medici-
na.*

*In ijs
Deum con-
uertere.*

gaudium. hæc, inquam, cum ita sint, age, discerne, an saluus fieri, an piè vivere, an tristari hîc cum filiis Dei, & tristitiam velis verti in gaudium? Quòd si annuis: iterum te rogo, & percunctor ex te: Cur ergo quereris? & an tuum potius sit eligere genus afflictionis & aduersitatum, id est, an infirmus tibi genus pharmaci præscribere debeat, an medicus; an dux militem, an miles ducem sequi debeat; Sapientia æterna insipientiam nostram? Secundo, si hanc recuses crucem & afflictionem, cogita certo certius graviolem à dæmone sustinendam. idèd enim dixit Dominus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Idèd in inferno lugent improbi se ambulasse vias difficiles, mundi que hujus gravissimam tyrannidem sustinuisse. Tertio considera, eâ lege omnes natos, ut aduersa feramus; & frustra te repugnare; ipse enim Dominus ait, Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Numquid dicet lutum figulo: Quid facis? Si ergo non possis effugere, quid turbaris, & auges dolorem ac malum tuum? neque enim Deo nocere potes; quòd si velis, proximo ultor ipse erit, qui dicit, Mihi vindicta & ego retribuam: adèd ut solùm dicentem proximo fatue, igne puniat sempiterno. Non sufficit tibi?

O aterna Sapientia, ut infr. pag 36.

PUNCTVM IV. Considera primò, an cum videas in te superbiam, & impatientiam, velis sanari? ita, inquis: ergo admitte manum medicam, gratias age illi, quite ad belluas istas extinguendas & incendium iuvat: neque enim patientia sine illis exercitationibus potest acquiri, neque humilitas sine humiliatione. At res tua tibi erepta est, officium, æstimatio, honor; à quo? à Deo, cujus erat, quod tu occultè ut idolum colebas magno amore. Si ignoras quanto, collige ex dolore què in animo tuo experiris, eo quòd diu fornicari, ut Scriptura loquitur, & tuū illud idolū colere non potueris. Quid cum?

cum Deus, & cœlestia tibi adsint, ut scarabæus stercorib⁹ adhæres? Petere veniam deberes, quòd nimio amore creaturæ inhæseris, quòd est spiritualiter fornicari: & ecce doles quòd ultrà nò liceat tibi, & quereris de Deo tuo, spòso animæ tuæ. O impudentiâ! Audes petere, quòd eum offendas, ab eo recedas; & si misericorditer negat, fers impatienter, quòd injuriam diutiùs sibi à te amore creaturæ fieri non permittat? dissimulare saltem deberes dolorem de mali occasione, id est adulterij, sublata: gratias agere ob laqueum remotum, & foveam clausam. O misera fors, non posse nolle quòd obest! non posse velle, quòd prodest! *Hæcine vera*, ut sup. pag. 7.

*Creatura
sunt idola.*

PUNCTUM V. Percute passionis mysteria. Primò, angustias cordis dulcissimi Jesu; & tuas illis conjunge, & sic unitas divinæ majestati offer. Deinde quid patiat^{ur}, à quibus, & quomodo, in corpore, membris, famâ, & existimatione, & dic saltem ad singula: Quid retribuam tibi, Rex meus, & Deus meus, vilissimum mancipium tuum pro omnibus quæ retribuisti mihi? nòne æquum est me confidere tibi, qui tanta fecisti pro me? & aliquid ferre pro salute meâ, cùm tanta pro illâ tolerare dignatus sis? Secundò, attende sapientissimum & optimum Dominum, sibi suisque crucem elegisse; & tu ergo dic: Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est. Tertio, optimi Patris erga te providentiam, quòdque ab æterno providerit & decreverit hanc tibi crucem; secundùm omnes circumstantias loci, temporis, personarum, eamque summâ cum bonitate & sapientiâ ad mensus fuerit viribus complexioniq^{ue} tuæ, ita ut, si velis, tibi etiam sicut diligentibus Dominum, omnia in bonum cooperatura sint. Elegit verò hunc, vel illum, per quem te exerceat, puniat; cur non placet? non respicias ad bajulû, sed eum qui mittit. non est enim malum in civitate, quòd non fecit Dominus.

*Passionis
consideratio.*

Psal. 115.

Galat. 6.

*Providentiã
Dei in ma-
lis attende.*

Rom. 8.

Amos 3.

1. Cor. 4.

Quartò, considera æternum gloriæ pondus, quòd pro

*Hebr. 10.**Resignatio
nec. saria.*

momentaneâ tribulatione retribuetur, & secundum Apostolum, patientiam ad omnia necessariam esse, ut reportemus promissionem, & possideamus animam nostram. Ergo generoso animo te divinæ, providentiæ committe in tempore, & in æternitate; & fac velis id, quod Deus vult. aliàs enim nihil velle potes, quod tibi utile est: utilitas enim nostra sola Deus est, & voluptas ejus. mane ergo in eo, & fruire illo qui ubique est; & omne bonum; & queri nūquam poteris. Queritur enim, qui caret aliquo bono: & ecce si vis, habes omnia in Deo tuo, si ei voluntate & charitate conjunctus sis: in hoc enim omnis lex & Prophetiæ; in hoc vera charitas, & charitatis perfectio consistit.

E X E R C I T I V M.

*Sap. 8.**Amos 3.**Matth. 10.**Confide in
Patri nec
stri æterni
providen-
tia.**Actor. 17.**Matth. 10.* *Applicatio
ad Com-
munionem,*

O Sapiencia aeterna, qua attingis à sine usque ad finem fortiter, & disponis omnia suaviter. nonne dixisti per Prophetam tuum. Nō est malum in civitate quod non fecit Dominus? Nonne dixisti capillos nostros omnes numeratos esse? Nonne oculi tui semper nos contemplantur? Nonne Pater noster, nostrique, amantissimus es, & creator, & conservator? Nonne in te vivimus nos, movemur & sumus, & omnia, quaecumque sunt: neque folium in arbore movetur sine providentiâ tuâ, neque cadit passer super terram sine illâ. Quid ergo si hoc, vel illud mihi adversi accidat? anne velut canis lapidem petam, & nō attollam oculos ad te, qui id facis, & ex immenso amore id mihi immittis? Oro te sapè, Domine, pro patientiâ, cur ergo eam viâ ordinariâ acquirere nolo; sed velut homo tentans Deum; patiens esse volo, & pati nolo? Quale membrum sanctissimi corporis tui habes, Domine JESU, quale, quàm deforme! tu vulneratus es propter iniquitates meas, & à plantâ pedis usque ad verticem capitis non est in te sanitas, ut ego sanus sim, & ego pro meis pati recuso? ô Domine, tu vides imperfectum meum, & si vis, potes me sanare, & cur nolis? potestne vincere malitia mea bonitatem tuam? non potest: ecce enim paratus es venire etiam hodie, ut me sanes, ut cibes, ut potes, ut amplectaris; ut similis tibi efficiar. Fac obsecro mihi secundum misericordiam

miseri cordiam tuam. Porro me in manu tuâ, ut lutum in manu figuli, & resigno me tibi in tempore, & in aternitate, & tantummodo id rogo, ne proficias me, neque despicias me Deus salutaris meus. Tu Domine, didicisti ex his quae passus es, patientiam & obedientiam; & ego omnia dura respuam: ignavus certe miles forem.

Tu propter me in cruce dura coronatus, & flagellatus fuisti; & ego mollia omnia queram? Tu famem passus es; ego ventrem distendere cupiam? Tu ignominiam & improprium elegisti; ego insanus gloriam spectabo? Tu in omnibus dura elegisti & vilia & aspera, sicut & omnes Sancti tui; ego verò non tuo spiritu, sed carnis & mundi impulsus, commodis meis studebo! nonne tu nosti, dulcissime JESU, reprobare malum, & eligere bonum? si in cruce & tribulatione malum; ane eam elegisses? nonne calicem passionis Matris, & amantissimis Sanctis propinasses, qui circumierunt in melotis, & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, per desertum vitæ hujus, ut in veram promissionis terram pervenirent? ego verò quomodo aliam viam invenire volo, quam tu, Sapientia aterna, elegeris? Displicetne mihi, ô Deus meus, consilium tuum: oportuit te pati, & ita intrare in gloriam tuam? quo pacto igitur intrabo in illam, nisi viâ regiâ sanctæ crucis? Quocumque eam aut fugiam, effugere crucem nullo modo valeo, undique malis cinctus: sed hoc ago, ut ea, quæ, si libenter de manu tuâ acciperem, suavia essent (tu enim dixisti, Cum ipso sum in tribulatione) jam ob propriam voluntatem, & repugnantiam aspera fiant & intoleranda.

Quid me facies, bone JESU? nonne certum, quod nisi compatiar, corregnare nequeam? cur ergo eos, qui coronam mihi fabricant, odit & aversor, qui vel imprudentes, vel ingenti suo malo, etiam in hoste commiserando eam mihi faciunt? Ecce medicinam præbent peccatis meis, & hostibus abigendis arma; sed nolo bone JESU, & instar furiosi, qui hostes meos fovent, diligo: qui eos debellant, aversor, neque pudet, eheu! me Christianum verbis dicere, & quasi factis negare. O JESU amantissime, talémne tolerare poses in servitio tuo, qui horret velut de monem crucem tuam: qui non diligit persequentes se, neque orat pro illis, neque

Christus sibi & suis elegit dura, quid tu? Isaiæ 7.

Hebr. 11.

Resignatio necessaria.

Psal. 90.

Compassio erga adversarios.

Confusio sui.

Matth 5.

bene facit iis, sed velut Ethnicus & publicanus, diligentes se diligit, & odientes odit: quod etiam fera faciunt? & licet jubeas inimicos diligi, ac tanta premia proponas, eheu! ecce plus apud multos valet verbum proximi placabile, aut obsequium vile, quam omnis voluntas tua: ob illud enim illi ignoscitur, ob hanc nec verbum condonatur.

Ecce confiteor tibi delicta mea, & postulo humillimè gratiam tuam, per dolores, fatigationes, mœrores, vulnera innumera, & opprobria tua, ut discam inimicos diligere, aduersa ut à te immissa amplecti, per multas tribulationes à providentiâ tuâ immissâ aliquando saluus fieri, & inter amicos tuos, quos & imploro, fortissimos Martyres tot passionibus nobiles, inter Confessores & virgines etiam cruce suâ insignitas. stare, & te frui in aeternum. Resigno me tua providentiâ, dispone de creaturâ tuâ. De nihilo hoc fac quod tibi placet, Domine mi Deus cordis mei: quid enim novi quid expediat mihi? tu medicus es anima mea, nosti quid expediat; tu dux nosti, quâ ducas; tu, Pater, scio, non proficies, neque despicias, neque desereres me; neque ego te per gratiam tuam, ò bone Jesu, mori tecum & vincere, & in aeternum tibi adherere volo, Amen.

Oblatio
sui.

*Praxis ad malorum propriorum exercendam
tolerantiam.*

Prævide
adversâ.

I. PRAVIDERE manè, & in examine; immò etiam singulis horis, ut jam dictum, ea quæ nobis adversa possent accidere, & ad ea animum comparare.

Deum præ-
sentem in-
tuere, & cru-
cifixum cõ-
plectere.

Secundò, oblatâ occasione patientiæ oculos in cælum ad Deum convertere, ac gratias agere, & cogitando esse te coram crucifixo, eum complecti. Reprime ergo vocem, & commotatur ira in te, neque unquam ulli postea enarra, vel auge ab alterò injuriam illatam: id enim est aggravare, & sese ad ultionem demonis astu provocare. sed ut verè humilis extenuare debes, quia injuria nõ fit illi, qui Deo perduellis, & toties injurius fuit.

Præveni
proximum
officio.

Tertiò, si quid amaritudinis sentias, præveni proximum, saltem si aliter nequis, per alium; Primò, humiliatione, etsi illius culpa sit; Secundò, beneficio: Tertiò, saltem diligenter pro illo ora. Sunt qui ex aversione & odio declinant conspectum & colloquium, nõne ex ore illorum & facto judicabis illos, Domine? Quàm vereor ne nunquam videant in jubilo faciem tuam!

Sunt

Sunt qui humiliatione prævenire nolunt, quasi dedecet; cum humiliaverit semetipsum Dominus, & qui peccatum non fecit, cum latronibus sese deputandum obtulerit. Quid vis videri non posse errare, & hominem non esse te? Vide ne ut Angelus apostata, & sicut unus de principibus corruas.

Quartò, quotidie in Sacro offer te ad omnes tribulationes, à quocumque de manu ejus accipiendas, undecumque proveniant, deinde quotidie illi refer acceptas, & ora pro persecutoribus te.

*In Missa re-
signa te Deo.*

JACVLATORIÆ.

Non est malum in civitate quod non fecit Dominus.
*Frumentum in Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut mun-
dus panis inveniar.*

Amos 5.
S. Ign. Mat.

*Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.
Cognovi, Domine, quia æquitas judicium tuum, & in veritate tuâ hu-
miliasti me.*

Psal. 118.
Ibid.

*Adjutor meus esto; ne derelinquas me, ne despicias me, Deus salu-
tariis meis.*

Psal. 26.

CAPVT VIII.

*De impedimentis Progressus in viâ spirituali, ac
primò de contemnendis hominum judicijs.*

POSTQVAM aliquis cum filijs Israël de Ægyptiacâ servitute liberatus est, & ad montem Dei Oreb tendere conatur; infernalis Pharaon nihil non objicit ac mover, ut si omninò à salutis viâ avertere nequeat peregrinantem in cælum, saltè varijs tentationibus seu velitationibus ejus progressum ac cursum retardet. Necesse igitur est armis esse instructum, modumque nosse pugnandi cum Principibus tenebrarum harum. Et quia inimici hominis domestici ejus, & verè homo homini lupus est, & ut D. Antonio Angelus ostendit, illi se mutuo impediunt quàm maximè æmulatione, invidia, rixis & judicijs suis temerarijs ac detractionibus, idèò de contemnendis his primò agendum puto.